



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 46. Maronitæ Ecclesiæ Romanæ junguntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII.  
A C. 1182.

mo Laodiceæ, & deinde Antiochiæ congregati, pacem ad tempus impetrarunt, his conditionibus: Patriarchæ, Episcopis, Ecclesiisque omnia ablatæ restituantur, Interdictum solvatur, Princeps autem Excommunicatione ligetur, donec concubinam expulerit.

Ita rebus uteunque mitigatis discessum. Sed Princeps a stupri consuetudine abstrahi non potuit; quin spreto periculo perdendi Rempublicam optimos amicorum procul abire a conspectu jussit, non alia motus causa, quam quod adulterium damnare dicerentur. Nec homines de plebe sed viros spectatissimos, militiæ suæ Præfectum, Cubiculariorum præpositum, tresque alias ex purpuratis ejecit, quos Rupinus Princeps Armeniæ ad se confugientes honorifice excepit, ac census, quibus honeste vitam sustentarent, destinavit.

### §. XLVI.

#### *Maronitæ Ecclesiæ Romanæ iunguntur.*

*Guil. Tyr.* Aimerico Patriarchæ Antiocheno,  
*XXII. c. 8.* ex Latinis tertio, paulopost ingenti so-  
*Jac. de Vitr.* latio fuit, quod Maronitas ad sinum Ec-  
*hist. Hiero-* clesiæ Romanæ reducere licuerit. E-  
*sol. c. 77.* rant enim Monothelitæ, Macarii Patriar-  
*Sup. lib.* chæ Antiocheni, in sexta Synodo Gene-  
*XL. §. 18.* rali,

rali, anno salutis sexcentesimo octogesi- Sæcul. XII.  
 mo primo damnati, erroribus imbuti; A.C. 1182.  
 quod usque adeo notum erat omnibus,  
 ut Christianis Orientalibus lingua Ara-  
 bica scribentibus ad significandum Mo-  
 nothelitam non aliud vocabulum quam  
*Maronita* suppetat. Ceterum Maroni-  
 tarum populus quadraginta circiter ho-  
 minum millia explebat, in monte Liba-  
 no ac confiniis in Diœcesibus Gbletana,  
 Botroniensi & Tripolitana dispersus.  
 Cumque viri essent bellicæ artis laude  
 insignes, spectatæ fortitudinis & Latinis  
 utilissimi, eorum conversio omnibus ma-  
 gnæ lætitiae causa extitit; non enim so-  
 lum fidem Catholicam suscepérunt, sed  
 etiam traditiones Ecclesiæ Romanæ, ei-  
 que conjuncti sunt cum Patriarcha suo  
 & quibusdam ipsorum Episcopis, qui,  
 ut Latinos imitarentur, acceptis Mitris,  
 annulis & Baculis, etiam campanarum  
 usum in Ecclesias suas invexerunt. Nam  
 Græci & Orientales populi non æs sed  
 tabulam ligneam pulsant, cum Fideles ad  
 Officium Divinum vocant, eo ferme  
 modo, quo nos in Parasceve Domini  
 populum monemus. Unde Orientales,  
 ut hanc conversionem diserte explicitent,  
 dicunt, Maronitas effectos fuisse Fran-  
 cos. Nihilominus illa ætate sicut &  
 nostra in Officio Divino lingua Chaldaica  
 & in sermone vulgari Arabica utebantur.

K 2      §. XLVII,